



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus LXXVIII. De matrimonio post emissum castitatis votum contracto,  
déque licentia, & obligatione reddendi debiti conjugalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

## CASUS LXXVIII.

*De matrimonio post emissum castitatis votum contracto, deque licentia, & obligatione reddendi debiti conjugalis.*

**G**Rifantus in juventute votum castitatis emisit, quo tamen non obstante matrimonium postea contraxit cum Rosa, quæ post aliquot annos in Conjugio transactos, & aliquot liberos ex Rifanto susceptos, inaudit maritum suum votò castitatis obstrictum fuisse: Unde tum prætextu voti hujus; tum ne proles multiplicetur, debitum conjugale reddere recusat marito illud petenti, qui proin sæpè ad non suam occultè accedens aliquot committit adulteria,

*QUÆR. I. Quid, contracto matrimonio, liceat Rifanto circa usum matrimonii, & quid ei sit faciendum eo dissoluto?*

*QUÆR. II. An adulter occultus petere possit debitum conjugale à conjugè ad adulterium ignorante?*

*QUÆR. III. An uxor sciens maritum esse votò castitatis obstrictum possit, vel teneatur debitum petenti reddere?*

*QUÆR. IV. An liceat debitum non reddere, ne liberi, quos ægrè Parentes alere possunt, multiplicentur?*

*QUÆR. V. Quale sit peccatum petenti negare debitum conjugale?*

445 **A**D I. Q. R. Conjugem, qui post emissum absolutè castitatis votum contraxit matrimonium, non solùm teneri abstinere à debiti petitione, quousque dispensationem obtineat, sed etiam obligari primo bimestri abstinere à debiti redditione. Ratio prioris

prioris partis est, quia ad petendum debitum conjux non obligatur, *C. si dicat. 33. q. 5. C. quidem de Convers. conjugat.* ergo potest id præstare absque conjugis injuria. Ratio verò posterioris partis est; quia votum obligat ad castitatem servandam, quoties servari potest; primo autem binesfri servari potest, quia eo tempore in favorem Religionis non astringuntur conjuges ad debitum reddendum, atque adeò servari tunc potest votum absque alterius conjugis injuria. Consumato tamen matrimonio tenetur Conjux, qui vovit castitatem, debitum petenti reddere, quoties rationabiliter petitur, ut constat ex *cap. quidem, cap. placet de convers. Conjugator*, quia nequit conjux privare conjugem jure ex Justitia per matrimonium quæsito: Solutio verò per mortem conjugis matrimonio, ex parte voventis servanda est continentia, adeò, ut etiam si vovens dispensationem obtinuerit ad debitum petendum, nihilominus ad secundas nuptias transire non possit sine expressa summi Pontificis ea super re dispensatione, vel ab alio per privilegium potestatem habente; quæ tamen dispensatio à S. Sede concedi non solet, nisi cum ea obligatione, ut dissoluto matrimonio servetur castitas, uti in nupera dispensatione contigit hac super re Româ huc transmissa.

Præterea si conjux durante ma-

trimonio adulterium committat, altero fidem servante, debet innocens suum votum servare, quia sine conjugis injuria potest id facere abstinentendo etiam à debiti redditione, ut ex communi docet Less. *l. 2. c. 47. n. 53.*

Porrò, an taliter vovens teneatur ante matrimonii consumationem ingredi Religionem, controversum est. Affirmant S. Th. *in 4. d. 38. q. 1. a. 3. quæsti. unc. 2. ad 3.* Navar. *c. 22. n. 73.* Sylvest. verb. *matrimonium 7. q. 5.* & alii, quia Religio est unicum medium, quod talis eo casu habet, ut castitatem servet; nec mirum est, eum obligari ad exequendum medium tam arduum, cum ipsemet, indebitè matrimonium contrahens in eas angustias se conjecerit. Verùm probabiliùs, veriusque alii negant cum Soto *in 4. d. 38. q. 2. a. 1.* Less. *l. 2. de Justit. cap. 46. dub. 5.* Sanch. *l. 9. D. 34.* Palao *D. 3. pun. 4. §. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. c. 1.* Henriq. Eman. Sà & aliis censentes, eum non obligari ad Religionem ingrediendam, tametsi votum emisit post matrimonium contractum ante illius consumationem, nisi fortè tempore emissionis voti adverterit, ac cogitaverit, nullum aliud superesse medium exequendi votum præter Religionis ingressum. Ratio est; quia non est censendus se velle obligare ad assumendum pro voti executione tale medium, quod longè difficilius est ipsa re promissa.

Id, quod haud obscure colligitur ex *Extravag. Joannis XXII, Antiquae de voto*. Si tamen tempore emissionis voti cogitasset, & agnovisset se aliter votum exsolvere non posse, quàm Religionem ingrediendo; tunc ad id se obligasse censeretur; aliàs irritoria esset promissio, & qui finem promittit, implicitè etiam promittit executionem medii unici, si illud necessarium esse intelligat; medium autem unicum exequendi tunc votum esset ingressus Religionis. Secùs si id in mentem ipsi non venerit, vel non intellexerit, ut notavit etiam *Coninck. D. 34. dub. 5. Concl. 3.* nam tunc non præsumeretur habuisse intentionem se se obligandi ad medium tam arduum, & difficile.

446 Ad 2. Q. Iciendum est, quadrupliciter jus conjugalis debiti admitti posse, videlicet ratione voti, ratione incestus, ratione adulterii & ratione cognationis spiritualis, ut docet communis DD. Unde dubium exoritur, an conjux adulter occultus possit debitum petere ab altero Conjuge, adulterium ignorante? ubi

Multorum valdè probabilis sententia affirmat, talem adulterum eo ipso privatum esse jure exigendi, & tantùm posse humiliter petere, seu se insinuare gratià placendi uxori, ne onus matrimonii nimis aliàs grave reddatur. Ita *Navarr. in man. cap. 23. n. 23. Re-*

*bell. l. 2. q. 17. n. 3. Rodriq. p. 1. cap. 243. Cov. 4. decret. 2. p. c. 27. §. 2. Rosella verb. debitum num. 17. Tabien. matr. 4. q. 6. n. 7. Arm. verb. matrimonium n. 77. Petr. de Lop. de matrim. q. 62. a. 1. dub. 1. putans id esse certum, aliq. i. Movetur, 1. Quia quàmprimùm adulterium à conjuge committitur, pars innocens illicò re vera, & coram Deo absoluta est à debito reddendo; ergo adulter non potest petere tanquam debitum, cum re vera debitum non sit: ant. prob. inde, quia si conjux innocens nòsset alterius adulterium, maneret absolutus secundùm omnes; notitia autem facti non absolvit re ipsa, sed ipsum factum: ergo ante notitiam erat re ipsa absolutus, solùmque tenebatur ex conscientia erronea. 2. Quia Creditore ratione ignorantia debitum non petente, non eximitur propterea debitor ab obligatione solvendi: sed eo ipso, quòd conjux adulteretur, est debitor alteri immunitatis & exemptionis ab obligatione reddendi: ergo licet innocens ex ignorantia minimè petat hoc libertatis debitum, non manet adulter liber, nec potest illi libertati contravenire exigendo. 3. Quia reddere ex obligatione, & exigere sunt correlativa: sed uxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, sed tantùm ex conscientia erronea: ergo vir adulter non potest exigere. 3. Quia lex impediens dominium rei, non est merè pœnalis, sed statim incurritur pa-*

patrato adulterio, cum sit pure  
privativa.

447 Sententiam oppositam tenent  
Cajetan. t. 1. tr. 31. opusc. 17. respon.  
4. Sotus 4. d. 36. q. un. a. 4. Sanch.  
l. 1. D. 68. n. 4. Coninck. D. 23.  
dub. 12. n. 87. Palao D. 3. pun. 4.  
§. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 1.  
Turrecr. Petr. Sotus, Ledesm.  
Palacios, & alii. Ratio est; quia  
quod conjux adulter propter adul-  
terium privetur jure petendi de-  
bitum, est id in poenam sui delicti,  
eod quod frangenti fidem, fides me-  
rito non servetur: atqui reus, qua-  
lis est adulter se ipsum ad poenam  
condemnare non debet, nemine  
agente, aut excipiente, nec tene-  
tur prodere suum delictum, ut a  
Judice, vel ab uxore in poenam il-  
lius jure exigendi privetur: ergo  
quamdiu delictum non constat u-  
xori, ut adulterum per exceptio-  
nem elidat, non privatur jure de-  
bitum exigendi, nec ipse tenetur  
esse suae poenae executor, praeser-  
tim cum conjux a debiti petitione  
abstinere plerumque non possit,  
quin criminis commissi suspicio, alia-  
ve incommoda oritura sint. 2. Quia  
haec est poena conventionalis jure  
divino, & naturali inducta, ut  
frangenti fidem, fides non servetur,  
matrimonium enim est quaedam so-  
cietas, contractus, & foedus: at-  
qui poena conventionalis non debet  
ante sententiam Judicis, vel  
saltem antequam pars ipsa petat, ut

patet in aliis contractibus, & foed-  
eribus, ubi reus non est privatus;  
sed privandus, ut si filius occul-  
tum crimen in patrem admittat,  
exheredatione dignum, &c. 3.  
Quia, quando conjux ipso jure  
privatur debiti petitione, non est  
in alterius potestate hanc poenam  
remittere, v. g. si incestum cum  
sorore conjugis admittat, vel  
communem filium e sacro fonte  
levet: ergo cum conjux innocens  
possit inferre, vel remittere adul-  
tero poenam non exigendi debitum,  
signum est, illum non ipso jure subire  
hanc poenam, sed tunc duntaxat,  
cum ea a conjuge innocente illi de-  
cernitur, ut adeo adulterium non  
ipso jure privet adulterum jure pe-  
tendi debitum, sed innocenti con-  
cedat potestatem ipsum privandi &  
repellendi. Et haec sententia pro-  
babilior videtur, & conformior  
praxi sacrorum tribunalium. Unde  
ad argumenta in contrarium pro-  
posita responderi potest.

Ad 1. R. innocentem non eo  
ipso absolutum esse ab obligatione  
reddendi, sed jus duntaxat habe-  
re, quod ipse in foro conscientiae  
possit se absolvere, si sibi factum,  
seu adulterium constaret, & quam-  
vis notitia facti non absolvat, sed  
ipsum factum, est tamen ea notitia  
conditio, sine qua non, ut juste  
possit innocens se absolvere, &  
conjugem adulterum repellere,  
seu privare jure exigendi.

Ad

Ad 2. diff. min. est debitor ita, ut teneatur se prodere, & spoliare, n. est debitor eo in sensu, ut scilicet conjux innocens delicti conscius possit se absolvere ab obligatione reddendi, C. sic qui fregit contractus fidem, est debitor pœnæ conventionalis, non tamen ita, ut teneatur illam offerre, sed ad eum sensum, ut alter jus habeat ab illo exigendi.

Ad 3. n. min. tenetur enim eousque reddere, donec innocens adulterii conscius se ab ea obligatione absolvat; nam ante talem absolutionem seu exceptionem non est sua possessione spoliandus.

Ad 4. n. in casu adulterii legem esse purè privativam, statimque incurri, hoc ipso, quòd adulter privetur jure exigendi debitum in pœnam sui delicti; adeoque pœnalis sit, seu potius conventionalis, ut dictum est suprâ, quæ non debetur ante sententiam Judicis, vel saltem antequam pars ipsa petat.

448 Ad 3. Q. An uxor sciens maritum votò castitatis obstrictum esse, possit, aut teneatur debitum reddere, quidam existimant, quoties conjux graviter delinquit exigendo, toties similis culpæ reum esse conjugem reddentem, atque adeò nec posse, nec teneri reddere, sed reddendo graviter peccare. Rationem dant 1. Quia talis non habet jus exigendi, sed petit injustè,

hoc ipso, quòd ipsa exactio peccaminosa sit, si enim jus haberet, & justè peteret, exactio illa immunis esset à culpa; ergo & reddens similiter peccat, cum reddendo alterius peccato cooperetur, & consentiens redditioni, consentiat petitioni, seu peccato exigentis, 2. Quia conjugi debitum petenti in loco sacro per se non licet illud reddere, quamvis suum petat, & solius sacrilegii sit reus: ergo neque licebit, quando adversus alias virtutes delinquit, cum non sit major ratio, & voto castitatis ligatus id petens crimen quoque sacrilegii admittat. 3. Quia bonum spirituale conjugis præstat corporali: ergo si petenti cum notabili damno corporali proprio, aut alieno v. g. prolis, debitum reddendum non est, à fortiori reddendum non erit, quando petens incurrit damnum spirituale petendo. Alii è contrâ, idque probabilius cum Diana p. 3. tr. 5. R. 196. & Bonac. de matr. q. 4. pun. 3. Petr. Soto lect. 16. de matr. Sanch. l. 9. D. 6. Coninch. D. 34. dub. 4. Laym. l. c. aliisque, arbitrantur, & petere posse, & etiam reddere teneri alteri conjugi petenti; quia per votum non amisit dominium corporis alterius conjugis per matrimonium acquisitum, sed tantum peccat exigendo in ordine ad Deum, cui fidem voti violat: ergo conjux, à quo exigitur, tenetur ex justitia reddere: sicut si nummos apud alterum à se depositos peteret ad for-

fornicandum; Quòd enim non semper, quoties peccat conjux petendo, delictum sit reddere, aut eximatur ab obligatione reddendi, passim docent AA. cum S. Th. Abul. Major, Adrian. Petr. Soto. Sanch. Palao Covar. quorum ultimus 4. decret. 2. p. e. 3. §. G. n. 6. duo hæc afferunt exempla. 1. si vir, inquit, affectu fornicatio velit uxorem cognoscere, & ita exigat, lethaliter peccabit: at uxor reddere tenebitur. 2. Si vir existimans matrimonium esse irritum ob impedimentum dirimens, petat; reus est culpæ mortalis: at uxor certò sciens impedimentum non subesse, non potest debitum negare. Et ratio ulterior est, quia reddens debitum non cooperatur peccato exigentis formaliter; quia tantùm cooperatur actui ex sua naturali licito conjugatis, & quem ipse debet alteri reddere, quamvis aliunde sit peccatum in altero conjugate exigente: at reddens non cooperatur petitioni alterius, sed eâ suppositâ cooperatur copulæ, quæ licita est, & à se debita, quòd inde confirmatur; quia nec cooperatur directè, hoc ipso, quòd non incitet alterum conjugem ad petendum, nec indirectè; quia neque potest peccatum exigentis vitare, cum res propria à vero Domino exigatur, quam lex Justitiæ Domino reddi postulat; neque tenetur peccatum illud evitare; quia pravus finis, vel malicia alterius petentis non vitiat in se actum,

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

nec afficit redditionem, quæ sola est actus reddentis, ut adeò non appareat, unde impedire teneatur illam exigentis malitiam, præsertim, cum non frustra timere possit alterius conjugis indignationem, odium, discordiam, & fortè incontinentiam, ni ejus excitatæ jam concupiscentiæ obsequatur. Fattentur tamen, quoties conjux, à quo debitum exigitur, potest commodè absque timore odii, indignationis, & incontinentiæ alterius conjugis peccantis mortaliter exigendo, & absque suo damno id impedire, teneri illum ex præcepto correctionis fraternæ ad alterum à peccato avertendum, eò quòd charitas exigat, & obliget ad proximum à peccato retrahendum, ubi id commodè fieri potest.

Porrò ad dignoscendum, sit ne 449  
culpa, nec ne debitum reddere,  
ubi petens exigendo delinquit, has  
tres regulas communiter statuunt  
DD. cum Petr. Soto citt. *leñ. 16. de  
matr. in fin.* Covar. l. c. §. 1. n. 6.  
Sanch. citt. *l. 9. D. 6. n. 7.* Coninch.  
*D. 34. dub. 4.* Palao *D. 3. de spons.  
pun. 5. §. 11.* Laym. *l. 5. tr. 10. 3.  
p. c. 1.* Henriq. *l. 11. cap. 15.* Prima.  
Quando culpa petitioni conjuncta  
provenit ex circumstantia,  
tenente se ex parte solius petentis,  
v. g. si petat, ob malum finem,  
vel sit voto castitatis astrictus, tunc  
non tantùm petitioni annuere potest,  
sed etiam reddere tenetur, nisi

Qqq fortè

fortè ille jure petendi privatus sit, ut sit per incestum, & adulterium; nam si incestuosus, vel adulter, qui etiam voto castitatis obstrictus est, debitum petat, ipsi negari potest; imò verò frequentius in tali casu ex charitatis lege negari debet. Aliud verò est in casu, quo conjux jus petendi integrum servat, & solum contra virtutem Religionis peccat, v. g. si voto continentiae absque conjugis consensu se astrinxerat, tunc reddendi necessitas incumbit, si instanter petatur; quia, ut supra dictum est, ligatus voto castitatis non amisit dominium corporis per matrimonium acquisitum, sed petens tantum peccat adversus Deum, cui fidem violat: ergo tenetur conjux ex Justitia petenti reddere rem suam, sicuti si nummos apud te depositos haberet, & Deo promittere non exacturum, si postmodum exigeret, tu obligatus esses concedere, quia ex promissione Deo facta nullum jus illos retinendi acquisivisti. Ergo similiter in posito casu. Secunda regula: quando culpa petitioni annexa provenit ex circumstantia tenente se ex parte actus conjugalis, seu tali, quæ ipsum actum externum vitiet, tunc ordinariè illicitum est reddere, peccasque reddendo, prout alter delinquit petendo, v. g. si petat in loco sacro, cujus scilicet sanctitati talis actus per se repugnat, in loco publico, utpote qui honestati naturali adversatur, vel petat cum periculo abortus,

vel damni prolis, ad cujus bonum actus ille suapte natura ordinatur, vel tui, aut petentis gravis nocu-menti; tunc enim ipsa redditio eandem habet malitiam, quia sicut petitio afficitur pravâ illâ circumstantiâ, ita, & redditio; utroque enim polluit locum sacrum, adversatur honestati, estque in damnum tertii, &c.

Dixi *Ordinariè*; quia necessitas interdum excusat à culpa, vel utrumque, vel solum reddentem; nam aliquando ex negatione debiti timeri possunt graviora mala, quam ex ejus concessione, in quo casu jam petita copula illicita non erit, ut notant Palao, & Laym. l. c.

Tertia regula est, quando exactio aut petitio debiti est solum culpa venialis, tunc reddere nulla est culpa saltem ordinariè, quia ordinariè adest causa excusans reddentem à veniali, v. g. ne uxor marito petenti displiceat, ne excitentur odia, & discordia inter conjuges, ne absque sua culpa privetur jure reddendi &c. quo in casu plerumque etiam obligari ad reddendum affirmant Petr. Sotus, l. c. Sanch. l. c. Navar. Laym. & alii.

Ad argumenta porrò supra pro prima sententia allata responderi potest.

Ad 1. R. petentem per votum non amisisse jus corporis alterius  
acqui-



acquisitum per ipsum matrimonium, sed petere injustè duntaxat quoad debitum modum; to enim injustè dupliciter summi potest, 1. quatenus petens non habet jus in re petita, ut si petat alienum; & tunc reddi non debet, 2. quatenus petens debitum modum non servat, licet jus habeat in re petita, ut contingit in posito casu; & tunc reddendum est, & reddendo non cooperatur formaliter ad peccatum, nec ille actus est consensus cooperationis, ut supra indicatum est.

Ad 2. disparitas est, quòd in illo casu circumstantia vitians teneat se ex parte ipsius actus, qui sanctitati loci sacri repugnat, in altero autem casu tenet se ex parte solius petentis, ut patet ex dictis in prima, & secunda regula communiter recepta.

Ad 3. n. c. quia damnum temporale non est in hominis potestate vitare, sicuti est spirituale; quod si sit in illius potestate, ut dum quis petit gladium ad se vulnerandum, vel occidendum, infert sibi damnum circa corpus, in quod nullum habet naturale dominium in ordine ad illum usum vulnerationis, mutilationis, aut interfektionis: at ubi solum est damnum spirituale, illud est circa animam, cujus homo dominium morale habet, cum illam Deus reliquerit in manu consilii sui, ut notat citt. Sanch.

Ad 4. Q an ab obligatione reddendi debitum conjugale excuset conjuges gravis difficultas, quam habent in alendis filiis, si multiplicentur? R. si conjuges inter se conveniant abstinere à copula conjugali, ne proles multiplicetur ob dictam difficultatem, nullum tunc erit peccatum abstinere, ut docent Navarr. in man. c. 16. n. 33. Palud. in 4. dist. 31. q. 3. a. 2. S. Antonin. par. 3. tit. 1. c. 20. §. 6. Sanch. D. 25. n. 1. Laym. l. c. n. 6. aliique communiter. Verùm difficultas & controversia est inter DD. an secluso pacto alter possit debitum negare petenti, ne filii multiplicentur ob dictam difficultatem eos alendi. Ubi

Rodriq. sum. c. 243. concl. 1. Sotus in 4. d. 32. q. unic. a. 1. Sanch. l. 9. citt. D. 25. n. 3. Diana par. 3. tr. 4. R. 213. & part. 9. tr. 7. R. 3. vers. verùm. Eman. Sà verb. debitum n. 8. Petr. Ledesm. de matr. q. 64. a. 1. Gasp. Hurtando D. 10. de matrim. difficult. 12. aliique censent, cessante incontinentiæ periculo nullam culpam mortalem committi in ea debiti negatione, imò non nulli cum Sanch. nullum peccatum, nec veniale, agnoscunt ea de causa debitum negare.

Moventur 1. quia in aliis etiam debitis solvendis excusat magna incommoditas, & difficultas: cur ergo non etiam in hoc excuset?

Qqq 2 2. Non

2. Non tenetur conjux reddere debitum, quando probabiliter timet aliquod grave damnum sibi, vel proli obventurum: atqui si proles nascatur, grave sibi, & filiis natis damnum imminet, si quidem cogetur vivere ex emendicatis eleemosynis; ergo, &c.

451 Oppositum tamen docent alii, contententes, non posse ob prædictam rationem negari debitum petenti; tum quia incommoditas, & difficultas, quæ ex multiplicatione filiorum timeri potest, præterquam quod dubia sit, & incerta, ex ipsamet solutione debiti ex Justitia nascitur: ergo nequit debiti solutionem impedire: Tum quia susceptio prolis ex matrimonio est magnum bonum, cujus gratiâ omne incommodum conjugibus perferendum, prima conjugii stipulatione susceptum, constantiter tolerari debet. Tum denique quia ex una parte filiorum generatio, & multiplicatio prolis spectant ad præcipuum finem matrimonii, primamque conjugum obligationem; ex altera parte melius est proli, ut vivat inops, quam ut omninò non vivat. Ergo hæc obligatio præferri debet obligationi illos alendi, cui obligationi si parentes nequeunt ex propriis commodè satisfacere, satisfaciunt ex aliorum eleemosynis, filiosque exponant confidentes in piorum hominum, multoque magis in Dei auxilio, qui pascit vola-

tilia Cœli, Matth. 6. obligationem tamen reddendi debitum non omitant. Ita Palao l. c. Rebell. l. 2. q. 16. Sect. 1. Coninch D. 34. dub. 3. in fin. Laym. l. c. illique, qui indistinctè affirmant esse peccatum mortale negare debitum, ne proles multiplicetur, ut sunt Sylvest. q. 8. Navarr. c. 16. n. 25. Angel. verb. *debitum* n. 15. Ludov. Lopez 1. part. instruct. c. 79. §. *peccat.* Graffis 1. p. decis. l. 2. cap. 83. Texeda tom. 2. l. 4. tr. 1. *controv.* 12. aliique. Excipiunt tamen semper casum, quo ob novæ prolis generationem parentes, vel proles ad extremam penuriam aliquin redigendi essent, & quo aliquin periculum esset incontinentiæ in petente, quod per lapè ex parte viri non abest; & hinc ex negatione debiti ob dictam causam multa peccata incontinentiæ sequi possunt. Et hæc ultima sententia probabilior videtur, magisque placeat, saltem quòd ea negatio ob dictam causam ordinariè non sit licita, an autem mortaliter peccaminosa dicenda sit, patebit ex mox dicendis. Unde.

Ad 5. Q. quale sit peccatum negare debitum conjugale? Respondent communiter DD. regulariter peccatum esse mortale, si nulla subsit legitima causa negandi, & seriò, instanter, & rationabiliter ab altero petatur; tum quia negatio debiti seriò, instanter, & legitime petiti gravis materia est, & sufficiens occasio excitandi rixas, discordias, & inimi-

inimicitias inter conjuges: Tum quia periculum incontinentiæ frequenter timeri potest, si tempore, quo conjux ad coitum excitatus est, debitum reddere renuas. Ut tamen sub peccato mortali reddere debitum obligeris, peti debet serio tanquam debitum; nam si constet peti ex benevolentia, & desiderio placendi, absque animo inducendi obligationem, negatio debiti in eo casu immunis erit à culpa, ut notat Palao D. 3. part. 4. quia non est petenti injuriosa, utpote non petita ex debito justitiæ. Imò etsi ita petatur, levem tamen solummodo injuriam esse, censent Eman. Saà l. c. n. 18. Sanch. l. c. D. 2. n. 10. Coninch. l. c. Laym. l. c. Basil. Ponc. aliique, si non absolutè negasti, sed tergiversatione aliqua, aut precibus à petitione conjugem avertisti: ubi rectè tamen monet citt. Sanch. etsi conjux non tanto rigore debitum conjugii exigere intendat, ut mortalis ei injuria inferatur negando, interdum tamen grave peccatum fore, saltem contra charitatem, si ex negatione debiti periculum incontinentiæ incurrat.

Quapropter cautè hinc procedendum est, præstatque potius petenti absque difficultate annuere, quàm aliquam in redditione difficultatè ostendere, ne amor conjugalis minuatur, & ad illicita divertat: Præciso tamen incontinentiæ & gravis odii periculo non aude-rem lethalis culpæ damnare conjugem, quæ rarò, aut subinde debitum negat marito petenti, nisi fortè illud instanter, & nimis urgeret. Tum quia, si id rarò, aut subinde contingat, non possunt mariti censeri rationabiliter inviti, cum ex parte mulieris persèpè rationabilis aliqua causa negandi subsit, nec sufficiens semper adsit advertentia ad gravem obligationem; Tum quia persèpè non petitur rationabiliter, sed nimis frequenter, & importunè: Unde debitum petenti in ebrietate, furore, amentia, negari posse, docent Sotus in 4. d. 34. q. un. a. 4. Eman. Saà verb. *debitum*, n. 16. Sanch. D. 23. n. 10. Laym. l. c. & alii, eò quòd tunc non rationabili, & humano modo petatur; quod probabilissimum dicit Victoria de *matr.* n. 289.

